

nos duomillia; requisivitque, monuit, & ortatus fuit dictum D. Bonifacium de Ponzono in persona sua, & aliorum suorum consortium, quod tam sub poena fidelitatis, ad quam sibi tenebantur, quam etiam sub poenis, & comminationibus contentis in dictis instrumentis, & sententia arbitramentali, & sub poena etiam privationis omnium feudorum, quae tenebant, seu unquam tenuissent ipsi, vel antecessores sui ab Aquensi Ecclesia, quod ulterius non deberet, nec ipse, nec alii sui consortes ex dictis Marchionibus Ponzoni dicto D. Oddoni ad invadendas, & occupandas, & detinendas dictas possessiones, fructus, & fectus praebere consilium, auxilium, & juvamen palam, vel occulte; monuitque nihilominus requisivit, & ortatus fuit dictum D. Oddonem ecc.; & nihilominus ex abundanti licet bis alias dictus D. Guido ut patet litteris, & publicis instrumentis inde confectis manu Francisci Novelli de Tercio publici Notarii dictos D.D. MM. de Ponzono monuisset, & requisivisset, & ortatus fuisset, quod deberent desistere ab invaxione dictarum terrarum, bonorum, & fructuum sub poenis contentis comminationibus, & praecipis in constitutione provinciali provinciae Mediolanensis, quae incipit **EFFRÆNATA CUPIDITAS** contentis: tamen ad majorem cautelam, & ne D. Oddonus occupator, & invasor dictarum possessionum, terrarum, fructuum, & bonorum aliquam ignorantiam posset praetendere, dictus D. Guido Episcopus dictos DD. Bonifacium, & Oddonem monuit, requisivit, & ortatus fuit vivae vocis oraculo ecc.; & nihilominus licet alias declarasset quasi modo consimili, ut patet publico instrumento confecto manu Francisci Novelli Notarii; attamen ne dictus D. Oddonus invasor, & detentor posset una cum dicto D. Bonifacio ignorantiam, ut praemittitur praetendere aliquam, declaravit dictum D. Oddonem invasorem, nec non & dictum Bonifacium ibi praesentes, intelligentes, & audientes, & alios suos consortes praebentes eidem Oddono in praedictis, & circa praedicta consilium, & juvamen incidisse in poenas, comminationes, sententias, feudorumque privationes in dicta Constitutione, quae incipit ut praedictum est: **EFFRÆNATA CUPIDITAS** contentas, ipsosque, & quemlibet ipsorum monuit propter suos defectus in dictas poenas, comminationes, & sententias protinus incidisse, prout ipsos & ipsorum quemlibet gradatim actenus tetigerunt, vel tangere potuerunt quomodolibet in futurum; & ulterius dictum D. Oddonem praesentem, & intelligentem requisivit, monuit, & ortatus fuit ex parte R. in X. P. & D.D. Archiepiscopi Mediolanensis, & Mediolani Domini generalis, sub cuius protectione, defensione, & custodia consistebat, & consistit ut ejusdem Domini fidelis suffraganeus, & devotus, quod idem D. Oddonus deberet restituere exportata de dictis possessionibus ecc.; & insuper dictus D. Episcopus obtulit separatim observare in omnem adventum quidquid in dicta arbitrari sententia continetur, vel continebatur, si & in quantum teneret, & deberet de jure, necnon eisdem in omnibus, & per omnia respondere de jure, si aliquando ab eodem Episcopo seu Aquensi Ecclesia volent petere, si & quando, &

quomodo, & ubi de jure deberet praecipiens inde fieri publicum instrumentum.

Ego Bartholomeus de Grignasco Novariensis Notarius ecc.

Declaratio obligationis fodri Eccl. Aq. ab incolis Bistagni debiti ex Chartul. Tab. Episc.

MCCCLII.

304

Anno Domini MCCCLII., indict. V., die XVII. martii in castro Episcopali Bistagni, praesentibus DD. Antonio Archipresbitero plebis de Mollariis, Bartholomeo de Grignano de Novaria, & Oglerio Borga de Bestagno testibus vocatis, & rogatis. Venerabilis vir D. Frater Bartholomeus Culardus de Bestagno ordinis Betlemit. constitutus in praesentia Rev. in Christo P. DD. Guidonis Dei gratia Aquensis Episcopi, & Com., nec non in praesentia egregii viri D. Oddoni ex Marchionibus Incisae Vicarii generalis in temporalibus Domini Episcopi supradicti interrogatus per praedictum Dominum Episcopum, si homines de Bestagno tenentur ex debito dare fodrum Domino Episcopo, vel non: Qui frater Bartholomeus tactis scripturis juravit, dixit, & respondit: quod ipse multum erat, & fuit domesticus, & secretarius D. Oglerii olim Aquensis Electi, & is tempore ipsius DD. Electi, & DD. Oddoni olim Aquenses Episcopi eorum temporibus saepe, & saepissime convocabat, & faciebat convocare multos homines de Bestagno, scilicet infra scriptos: & multos alios ecc. & quando ipsi homines erant coram ipso Domino Electo, vel coram ipso Domino Episcopo, ipse dicebat, quod darent ei suum fodrum; quod sibi dabant, interdum lib. I., interdum XI., interdum XXX., & interdum XX. secundum gravitates, & voluntatem dictorum Domini Electi, & Episcopi &c.

Responsio Marchionis Montisferrati ad praesentationem litterarum Archiepiscopi Mediolanensis eadam de Cassinis facta.

MCCCLIII.

305

Anno Domini MCCCLIII., indict. VI., die octava mensis februarii ante portam villae Tridini in strata publica, per quam itur versus Publetum, praesentibus testibus &c. Cum per quendam de Cassinis praesentarentur litterae quaedam ex parte D. Archiepiscopi Mediolani inter cetera continentes, quod Petrum de Plaxano, & haeredes Leonis de Plaxano, & Gulielmum Rubrum, & certos alios de Cassinis se asserentes terras, & possessiones habere in finibus Maransanae, & Vixoni permetteret bonis suis, & fructibus ipsarum possessionum gaudere secundum continentiam litterarum dictarum, de qua praesentatione ipse de Cassinis praecipiebat fieri publicum instrumentum; praefatus D. Marchio visa, & intellecta dictarum litterarum continentia dixit eidem, & protestatus fuit, quod praedicti de Cassinis fuerunt, & sunt ejus proditores, & genitoris sui, & multa commiserunt contra legem Juliam majestatis, propter quae dicti, eorum terrae, possessiones, & bona spectant de jure ad cameram ipsius D. Marchionis, & eidem sunt confiscata, & etiam ipse totus locus Cassinarum spectat, & spectare debet de jure ad ipsum Dominum